



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

293. An concubinatus sit delictum misti fori, ita vt si præueniatur, possit
puniri à iudice laico? Ex quo infertur, an ministri laici possint prohibere, ne
Ministri curia Episcopalis visitent loca, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

monitione, poena pecuniaria concubinarium punire, quia ut tenuit eadem Sacra Congregatio, trina monitio tunc necessaria est inter concubenarios, quando contra eos vult ferri sententiam excommunicationis; non verò si poenis pecuniariis, vel aliis puniri illos velit Episcopus; quia in tali casu non requiritur solemnitas, de qua loquitur Concilium in illo cap. 8. & ita nonissime docuit etiam Pereira *tract. de manu regia, p. 1. cap. 8. num. 24.* licet contrarium, sed non bene, videatur docere Riccius in *praxi, p. 1. resol. 319. n. 3.* contra quendam Episcopum huius regni: sed postea se retractavit, & nostram sententiam docuit in *suis de cessionibus, p. 4. decis. 43. n. 9.* Norandum est tamen, quòd concubinatus est etiam crimen mixti fori. Ita Azor. *p. 2. lib. 3. c. 53. g. 2.* & alij.

Sup. hoc no-
tando latè
in Resp. seq.

RESOL. CCCXIII.

An concubinatus sit delictum mixti fori, ita ut si praenuntietur, possit puniri à iudice laico?
Ex quo inferitur, an Ministri laici possint prohibere, ne ministri Curiae Episcopalis visitent loca, & domos meretricum? Ex part. 5. tract. 11. Res. 10.

Sup. hoc cū
Azorio tan-
tum hic ci-
tato cursum
in fine pra-
cedentis Re-
sol.

Afirmatiuam sententiam docet Azor. *tom. 2. lib. 3. c. 53. q. 2.* Venerus in *exam. Episcop. lib. 3. c. 27. num. 66.* Belletus in *disquis. Cleric. tit. de summo Clericorum reali, §. 4. n. 52.* Bobadilla in *Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 53.* & alij, & ratio esse potest, quia ut obseruat Valboa de Magroviejo in *exam. sit generale, de foro compet. num. 18.* delictum quod prohibet lex Canonica & civilis, est mixti fori, sed tale est delictum concubinatus, ergo, &c. Pro hac opinione à Belletto citatur etiam Fatinacius & Clarus sed pro illa non faciunt. Verum alij contrariam sententiam tenent, quam tuetur Abbas in *c. cum sit gener. de foro compet. ubi refert Goffredum Doctorem antiquum sic tenuisse. Idem docet Marcellus Vulpe in Praxi fori Eccl. c. 41. n. 51.* Bermondus in *tit. de pub. concub. ver. penitus arceve. fol. mibi 304.* Anton. Cucchus in *Instit. lib. 2. tit. 6. num. 101. 10.* Honorius in *Decretal. lib. 5. tit. 16.* Marcellus Megalius in *Promptuario ver. causa spiritualis, n. 10.* & *ver. concub. n. 10.* ubi sic ait: Concubinariorum etiam laicorum punitio ad solos iudices Ecclesiasticos pertinet, quia concubinatus Caesaris legibus nullis poenis plectitur, ut post Doctores, quos citat & sequitur Emanuel Suarez in *Theaur. recept. sent. lit. C. ver. Concub. n. 166.* Sic ille. Vnde patet responso ad arg. pro contraria sententia adductum, & idem non desinam hinc apponere verba Iulij Clari in *Pract. lib. 4. §. fornicatio num. 6.* ubi sic asserit: In primis quæro, numquid concubinatus sit à iure prohibitus Resp. hæc quæstio de iure Canonico nullam habet difficultatem, nam omnis coitus, præter matrimoniale, est prohibitus in foro conscientiae secundum Canones, ut tenet glos. in *Clem. ut nostrum, in ver. non est, de heret. quam sequuntur omnes, ut dicitur Caccialup. in repet. legum, l. si qua illustris, num. 30. in fine, Cod. ad S. C. Orifician.* Sed de iure civili magna fuit altercatio inter scribentes, nam aliqui tenuerunt, quòd iure civili coitus cum concubina non sit improbatum, & hanc opinionem dicit esse communem Alexand. in *l. ex falso, §. si quis rogatus num. 13. ff. ad S. C. Treb. quem refert Io. Garc. in rubr. C. de secund. nupt. in 28. poena, ver. ex qua conclus. & in l. 1. in textualibus, num. 37. eodem tit. & Bermon. in *concub. fol. 391. n. 2.* Socin. in *l. cum auus, post n. 65. vers. mag. tamens. ff. de cond. & demonst.* Contrariam autem sententiam, scilicet quòd inò concubinatus sit hodie repro-*

batus etiam à iure civili, dicit communiter tenent Alexand. sibi contrarius, *consilio 59. numero tertio, in fin. lib. 4.* Felin. in *cap. cum sit generale, numero decimo tertio, de foro compet. Ripa in leg. fin. numero trigesimo octavo, in fine, Cod. de reuoc. donat.* Didacus *supra 4. Decret. in prima parte, capite tertio, fol. 5.* prout illum refert Nunnius de los Corregidores *folio 23. numero primo, in fine.* Ego certè suspicor in puncto iuris veritatem esse opinionem, quòd concubinatus non sit de iure civili prohibitus, atque ita videmus feruari de consuetudine, quæ est optima legum interpret, quia iudices sæculares regulariter hoc crimen non puniunt, nisi quatenus requisiti ab Ecclesiasticis brachium suum impartiuntur, ut dixi *infra hoc eodem libro, §. fin. quæstione trigesima septima, vers. quæro etiam.* Propterea ego ab hac sententia in iudicando non recederem. Huc vsque Iul. Clarus. Videant igitur aliqui, si sine ratione possent Episcopi asserere, delictum concubinatus ad solos illos spectare. Vide etiam observationes doctrinales Concilij Tridentini inuentas in Bibliotheca Card. Bellarmini *sessione vigesima quarta, de Reformat. matrimon. capite octauo, littera A.* Sed quicquid sit de hoc, ex his tamen inferitur esse refulendum Pereira *de manu regia, tom. 2. cap. 34. num. 11. vbi sic ait: Mente tenendum est, quòd concubinarij sæculares in duobus tantum casibus ordinariè & præcedente accusatione possunt puniri. Primus est quando concubinarium ter monitus insisterit in peccato, & excommunicatus per annum persistit ex capite rursus, 11. quæst. 3. capite cum contumacia, de heret. lib. 6.* Secundus est, quando concubina patiter ter monita non respiscunt, atque his duobus casibus rectè Prælati criminales processus contra laicos instituant, in aliis verò minimè. Sic ille.

2. Sed hæc profus sunt reiicienda ex declarationibus hæc Congregationis, vt videre est in supradicto loco Concilij Trident. Cardin. Bellarm. vbi vna declaratio sic ait: ita admonitio contra concubenarios requiritur, quando sunt excommunicandi, sed si iudex vult eos multare pecuniis, non requiruntur hæc solemnitates, & ubi est consuetudo in matrimonio procedendi, poterit illam seruare. Altera verò declaratio ita asserit: Iudices sæculares non possunt inhibere iudici Ecclesiastico, ut seruet formam trinarum admonitionum. Et *die 23. Junij 1629.* sic etiam statuit. Episcopus potest contra concubenarios nullis præcedentibus monitionibus procedere, quando non procedit ad censuras. Et ideo contra Lusitanum duos alios doctissimos Lusitanos apponam Augustinum Barbosam, & Thomam Valascum, hic in *alleg. tom. 34. num. 11. & 12. in collect. Doct. ad Concil. Trident. sess. 14. de Reform. matr. cap. 8. num. 4. & 5.* asserentes trinam monitionem tunc esse necessariam inter concubenarios, quando in eos vult ferri sententiam excommunicationis: si verò poenis pecuniariis, vel aliis multari eos velit Episcopus, non requiri istam solemnitatem. Vnde potest Episcopus in prima admonitione poena pecuniaria concubinarium punire. Et ita testantur fuisse decisum Portugallia in supermo Regij Palatij Senatu, cum hoc altercatur inter Officialem Episcopi Portugalensis, & iudicem Regiæ coronæ Senatus eiusdem ciuitatis: & idem hanc sententiam præter Barbosam, & Valascum, docet etiam Venerus in *exam. Episc. lib. 4. c. 27. n. 68.* Ita Belletus in *disquis. Cler. p. 2. §. 3. n. 5.* & Scipio de Rubcis in *Aphor. Episc. ver. Concubinarium n. 4.* ubi ita ait: Iudex Ecclesiasticus in concubenarios potest aliis poenis, & viis, quam in Trident.

Trident. cap. 8. sess. 24. de reform. matrim. statuti procedere, nam per illud decretum non tolluntur alia pœna à iure communi, vel statutis synodalibus contra concubinos statuta. Ita ille, qui etiam testatur, ita declarasse, vt visum est supra sacra Congreg. Concilij. Non est igitur audiendus Zerola in praxi Episcop. 1. verb. Concubinarij, §. ad primum videtur. Grilenzonius conf. 79. num. 2. & Riccius in praxi tom. 1. resol. 319. Potest enim, vt dictum est, Episcopus damnare laicum concubinatum in pecunia, exilio, reclusione, vel aliis pœnis, sine quo præcedat trina monitio. Vnde in Synodo Dicec. III. Emin. Domini mei Card. ab Auria, me etiam interueniente tanquam examinatore synodali, part. 5. c. 2. n. 8. post aliqua sic statutum fuit: Quamobrem hoc synodali decreto statuitur, vt nemini cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis fuerit, nullo obrentu, nec vilo vnquam tempore liceat in propria, vel aliena domo concubinas alere, aut retinere, qui secus fuerint, annuo carcere, & vncijs xxv. multentur quæ pecunia in pios vsus Archiepiscopi iudicio confertur: quod si contigerit huiusmodi homines excommunicatione feriendos esse, id vtiq; fiet iuxta formam à sancta Tridentina Synodo præfinitam. Hæc ibi. Vnde ex supradictis manifestè apparet, non posse ministros laicos prohibere ne Ministri Curia Episcopalis visitent loca, & domos metreticum: nam licet concubinatus non sit delictum merè Ecclesiasticum, vt volunt aliqui, saltem est delictum mixti fori, ergo necessariò sequitur posse Ministros Ecclesiasticos metreticum domus inuifere.

RESOL. CCXCIV.

An iudex laicus possit statuere, ne concubina reneantur pro furis ab ipsis concubinis factis, etiam si hoc extendat ad concubinas Clericorum? Et inferat, quod lex, vel statutum, si tollat Clericis id, quod de iure communi eis competit, est contra Immunitatem Ecclesiasticam? Ex part. 4. tract. 2. Resolut. 11.

§. 1. **A**ffirmatiuè responderi Pereira do manu Regia part. 2. cap. 75. n. 1. Ratio est, quia talis lex detestari intendit concubinatum, illumque à sua Republica penitus exterminare, vnde hac prohibitione detestati concubinarij respiciant, licet per accidens sit vt exinde concubinæ furandi licentiam arripiant impunè, quod lex non intendit, nec legi tribuendum est peccatum, quod subditus ex sua malitia occasione legis aliàs iuste accipit ex se ipsa. Et hæc lex est communis tam laicis, quam Clericis: ergo, &c. Ita Pereira loc. cit.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, nam, vt docet Bertran. de Guevara in propugn. Eccles. asser. 1. §. 4. n. 5. Aponte in respon. pro cens. Pauli V. fol. mibi 71. doctus & nunquam satis laudatus Præses Valenzuela in defen. monitorij Pauli V. part. 1. num. 55. Maynardus de priuileg. Eccles. part. 1. art. 1. num. 24. Buttius in capite cum terra, de elect. num. 6. Felinus in capite Ecclesia S. Maria num. 69. Inola num. 11. Decius n. 3. de constit. & alij penes ipsos, lex, seu statutum si tollat Clericis id, quod de iure communi eis competebar, est contra immunitatem Ecclesiasticam: sed de iure communi competit omnibus actio furti, quæ peti hæc legem Clericis denegatur: ergo, &c. Nec valet dicere cum Pereira, quod ista lex etiam hanc actionem furti denegat laicis, & quod fertur propter bonam commune: nam si hoc axioma esset ve-

rum, omnes leges comprehenderent Clericos, quia feruntur propter publicam vtilitatem, & sunt generales: sed publica vtilitas non confert iurisdictionem laicis vt possit statuere aliquid præiudiciale Ecclesiasticis, vt patet ex sacris Canonibus, & communi DD. sententia, & tradit Surdus vol. 3. consil. 302. & volum. 1. consilio secundo. Angelus verb. immunitas, numero trigesimo septimo, Martha part. 4. centur. 1. cas. 1. & alij.

RESOL. CCXCV.

An consuetudines laicorum & Clericorum mixtae sint valida, etiam si sint contra libertatem Ecclesiasticam? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 69.

§. 1. **V**idetur affirmatiuè respondendum, per ea, quæ adducunt Collegium Bononicense in respons. pro libert. Eccles. num. 28. Maynardus de priuileg. Eccles. part. 2. artic. 22. num. 88. Surdus consil. 2. volum. 2. Tiraquellus de retrat. lignag. §. 1. gloss. 8. num. 173. qui hoc pacto defendunt quandam consuetudinem vt monasteria non succedant, de qua consuetudine testatur Peregrinus in tractatu variar. libro sexto, numero septuagesimo septimo, Guilielmus de Benedictis in capite Raynuius, verb. & uxorem, ducentesimo vigesimo quinto, de testament. Boërius decif. 754. num. 8. Rebuffus consil. 173. num. 11. & 12. & hoc etiam feruari Ferrariae testatur Riminaldus consil. 85. num. 38.

2. Sed P. Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 32. num. 19. docet quod cum dicitur consuetudo mixta, posse operari in rebus, vel personis Ecclesiasticis, intelligendum est de consuetudine, quæ non præiudicat sacris Canonibus; vel si præiudicat, in illam Pontifex consentiat, saltem tacitè, vnde res est periculosa, & ideo vbi vigent tales consuetudines, videant illi, ad quos spectat an habeant supradictas conditiones.

RESOL. CCXCVI.

An iudex Ecclesiasticus possit incidenter cognoscere de rebus temporalibus, seu profanis, & è contra indices laici de rebus spiritalibus, & Ecclesiasticis? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 111. aliàs 110.

§. 1. **D**ifficilis est ista quæstio, & non semel in præxi occurrens ad quam Christophorus de Anguiano in tract. de legib. tom. 1. lib. 21. contr. 22. nu. 21. & 25. duabus conclusionibus respondet, quarum prior sic habet:

[Laici Magistratus de rebus Ecclesiasticis omnimodo prohibentur cognoscere, & super eis, neque principaliter, neque incidenter iudicare possunt.

2. Secunda conclusio: Prælati, siue iudices Ecclesiastici, licet non magis possint cognoscere de causis profanis inter sæculares, quam laici, respectu causarum Ecclesiasticarum; nihilominus tamen, quia solummodo incompetentes sunt, non incapaces erga tales causas, si eas contingat incidere, rectè poterunt per incidentiam sæcularem iurisdictionem in laicos exercere.] Ita ille. Ratio igitur, quare laicus non potest, etiam incidenter, cognoscere causam Ecclesiasticam, est, quia non solum circa illam est Iudex incompetens, sed etiam incapax; Ecclesiasticus verò potest incidenter de causa profana cognoscere, quia

Sup. hoc supra in Ref. 2. §. Sed dicitur & signanter ad med. & in ref. 13. §. vlt. & in Ref. 37. §. penult. & in Ref. 256. cursum in §. vlt. & infra in Ref. 335. §. vlt. & in tom. 6. tit. 2. Ref. 23. §. 1. à princ. & in tom. 4. tit. 6. Ref. 59. §. 2. à lin. 6.

Sup. hoc supra lege doctrinam Ref. fol. 48.